

## DISPUTATIO SEXTA.

## De Sacramento Matrimonii.

## PRÆLECTIO I.

Matrimonium quid sit, & varia ejusdem  
acceptiones.

**A**bsoluta de Sacramento Confirmationis Theologica Tractatione, & quantum ex veteris & novi Testamenti Oraculis licuit, bono in lumine collocata; id unum nobis in præfenti reliquum est, ut alteram de Matrimonio instituiamus, quæ non modo viros Theologos, sed & Jurisperitos exercebit.

Qua in obeunda provincia, ne quid indiduum abeat, quod ad studiose Juventutis informationem conducere possit, ipso statim in limine notandum venit, bifariam esse Matrimonii acceptiorem; & ut Naturæ officium, & contractus civilis est, cujus meminisse videmus Justinianum Imperatorem *Novel. 22.* ubi asserit, Matrimonium ita esse honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam impartiri, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum; & ut est Sacramentum, qualiter accepto; notandum iridem velim, quod licet signum præctium & productivum gratiæ non videatur cum aliis conferendum; quia parum ad spiritalis & celestis vitæ officia, ad quæ cætera Sacramenta ordinantur, affurgit: attamen ut signum reprehensantiæ & sacrarum rerum symbolum cæteris præstat.

Quibus itaque positis, ut disputandi initium faciamus, rem totam a primis fundamentis repetemus, & prius nonnihil de illius appellatione, natura, & partitione præmittemus; dein de illius essentia, prout Theologi officium postulat, differemus.

Matrimonium igitur a Matre, ut Patrimonium a Patre dicitur *Cap. ex literis Ex. de Connub. Isid.* quia in concipienda, parienda, fovenda, educanda prole, plus operæ mater, quam pater impendit; quemadmodum dicitur patrimonium a Patre, eo quod in rerum domesticarum administratione plus pater, quam mater studii ac laboris impendit.

Dicitur etiam conjugium a conjungendo, eo quod duos sub eodem veluti iugo perpetuæ Societatis jungat: eaque conjunctio duplex est, animorum scilicet, per mutuam fidem datam, & corporum per carnalem sexuum commixtionem.

Connubium iridem a nubendo seu velando ac tegendo ex præfco illo usu appellatur, quo solebant mulieres Matrimonio junctæ flammeo velo caput obtegere in signum subjectionis ad virum. Hinc Rebeccam Isaac desponsatam statim ac ipsum venientem conspexit, flammeo se operuisse legimus *Gen. 24. 65.* Inde etiam Nuptiæ dicuntur. Ita tamen ut a nuptiis sola mulier dicatur nupta, non item vir nuptus; quia cum mulieri non subiaceat, sed potius dominetur, caput obtegere non tenetur: imo per derisum nubere dicitur vir, dum suæ immemor dignitatis sese uxori subijcit. Hinc Martialis, *uxori nubere nolo mea: hoc est, nolo illi subesse.* Quia etiam nuptæ nomen corruptam a viro plerumque sonare, ostendit *Cerda Cap. 144. advers. num. 41.* tanquam Uxores pariter dictæ sunt, quasi uxores ab un-

gendo, ut notant Servius Sulpicius in *lib. 4. Æneidos*, & Plinius *lib. 28. Cap. 9.* quia viri junctæ, cum primum ad congressum cum viris habendum ducebantur, solebant ipsæ, nescio quæ superstitione, cubuli postes inungere, ut congressus illis prospere cederet. Maritus a *Mare* vulgo dicitur, quod maris partes agat in carnali congressu. Hinc *Marito* apud Patres idem est, ac fecundo.

Vir etiam diverse, ac varie dicitur, a sexu, ab ætate, a conjugio, a vi, seu fortitudine; Dicitur quoque ab officio generationis; Unde Eunuchos generationis impotentes, *Seneciras, eviratos, excise virilitatis homines dicimus.* Sponsalia tandem universim, ac generatim dicuntur contractus stipulationis, & sponsionis. Dum ergo stipulantur aliqui spondentque futurum Matrimonium, simplicia sponsalia iure dicuntur, verbis scilicet de futuro conceptis: Ubi vero mutuum corporum potestatem tradunt, spondentque sibi mutuam fidem, eo quoque sensu sponsalia Matrimonium sonant. Sed de his fatius fortasse diximus. Sequitur nunc ut de illius essentia, quæ secunda asserti nostri pars est, dicamus.

Essentia igitur Matrimonii facile apprehendi potest, si verba intimius attendantur, quibus solet definiti. Definitur itaque *viri & mulieris Maritalis conjunctio inter legitimas personas individuum vitæ consuetudinem retinens.* Expendamus itaque singula. Dicitur *viri & mulieris conjunctio*, eo quod Matrimonium, cum ordinatum sit ad humani generis propagationem, & ad prolis generationem, necessaria est inter virum & feminam conjunctio, ut inter subjecta ad hunc finem idonea; tum etiam ad excludendam polygamiam, veteribus Judæis divina dispensatione permiffam, Legis vero Evangelicæ tempore prohibitam. Verbum autem quod subditur, *Maritalis*, innuit unionem illam, seu conventionem, quæ ex Matrimonio proficiscitur, esse longe diversam ab iis, quæ ex aliis contractibus fiunt, quæ sicuti ex mutuo hominum assensu contrahuntur, ita mutuo eorum dissensu dissolvuntur; ad quod sane respiciens Deus interrogatus olim a Judæis de repudio, respondit, se solum auctorem esse Maritalis illius conjunctio- nis, quæ celebratur a Judæis, his verbis: *quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* Additur *inter legitimas personas*; quia non omnes sunt habiles contrahendi Matrimonium, cum a legibus exclusi sint, seu naturali, ut pueri, Eunuchi, frigidi, & in primo gradu consanguinei; seu positiva, ut qui intra secundum tertium, vel quartum gradum propinquitatis conjuncti sunt. Dicitur tandem *individuum vitæ consuetudinem retinens*, ad declarandam insolubilis matrimonialis vinculi naturam, quia ita ligat utrumque, ut quamdiu vivunt, tandiu hoc vinculo juncti sunt juxta illud Apostoli *1. ad Corinth. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Hisce igitur ante omnia explicatis, bonoque in lumine positis, illud primo a Theologis vocatur in controversiam, an Matrimonium sit naturale & divina lege institutum? Quoniam tamen fat nobis otii temporisque non suppetit, idcirco in diem alteram, si Deus dederit, expediemus.

## PRÆLECTIO II.

Matrimonium, ut est Naturæ Officium, Naturali & Divina lege institutum fuisse asseritur, demonstratur.

**Q**uæ nobis causa sit movendæ hodiernæ disputationis, num scilicet Matrimonium, ut officium naturæ, naturali & divina lege institutum sit, quorundam est hæreticorum malenata contentio, nimirum Encratarum, Hieracitarum, Marcionitarum, Manichæorum, aliorumque hujus farinae hominum, qui cum legerent *1. ad Corinth. 7.* Matrimonium concedi ab Apostolo secundum indulgentiam, non secundum imperium, necessaria veluti consecutione contendunt, Matrimonium per sese malum ac illicitum esse. Ad majorem claritatem videri potest *D. Thom. 1. ad Corinth. cap. 7. 1. 1.* Quem quidem errorem, & ab Augustino fat bene retulim *lib. de bono Conjug. & a Synodo Gangrensi damnatum legimus Canone 1.* his verbis: *Si quis vituperat nuptias & dormientem cum viro suo fidem ac religiosam detestatur, aut culpabilem estimat, velut quæ in Regnum Dei introire non possit, anathema sit.* Quam hæresim potestâ fuscitarunt Armeni & Almericus quidam tempore Innocentii III. a quo proscripta remanet *extra de Summa Trinit. cap. Damianus.* Quid ergo nos in præfentia agere oporteat, ut horum omnium hallucinationem refellamus, & Matrimonium rem bonam esse opposita consecutione demonstremus? Duo hæc ostendenda nobis incumbunt: Matrimonium uti naturæ officium & naturale, & divina lege institutum fuisse. Age nunc rem agamus & ad primæ positæ assertionis probationes accedamus.

Certo certius est, Naturam non modo originali peccato vitiatam, sed & integram & innocentem inclinare non tantum ad prolis generationem, sed etiam ad ejusdem educationem & institutionem, quo postea liquet eam viri & mulieris conjunctionem esse ad naturæ legem referendam; cum id certe fieri nequeat sine certis & perpetuæ societatis vinculo conjunctis parentibus, qui eam regant & foveant.

Hoc multo luculentius evincit tritum & inneluctabile principium, quod qui intendit finem, intendit etiam & medium necessarium ad finem obtinendum. Si porro intendit natura propagationem, concludendum est etiam, eam intendere maris & femina conjunctionem, quæ est ad propagationem necessaria.

Quibus sane rationibus ducti, Matrimonii contractum esse de jure naturæ jurisperiti adjudicaverunt, ut legere est in principio Digestorum: *Jus naturale &c. hinc descendit maris & femina conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus.* Et in *cap. jus naturale* sumpto ex *Isidoro lib. 5. Etymologiarum cap. 4.* *Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur: ut viri & femina conjunctio.*

Accedit, quod homo quemadmodum ex naturæ suæ propensione inclinatur ad conservationem sui ipsius, ita etiam ad conservationem speciei in esse rationali, quæ in perfecta prolis educatione consistit. Cum igitur hujusmodi conservatio haberi nequaquam possit ex simplici fornicatione & concubitu, cum ex his ut plurimum mala prolis educatio sequatur; argumento est ad hujusmodi conjunctionem hominem esse suapte natura inclinatum, uti inuere videtur *D. Thomas in resp. ad 4. his verbis, natura enim non solum intendit* Serry Tom. IV.

esse in prole, sed etiam esse perfectum, ad quod requiritur Matrimonium.

Vereor tamen maxime, ne tempus & operam ludere videar, dum in re compertissima demonstranda studium pono. Majus erit operæ pretium investigare, sit ne Matrimonium divina lege institutum, quod secundo loco sponendi me initio probaturam.

Et certe tam crebris tamque dilucidis Scripturarum Oraculis constat, Matrimonium fuisse positiva Dei lege institutum, ut plane mirari subeat, Eneratitas, Marcionitas & Manichæos malum atque illicitum esse commentos esse.

*Gen. enim cap. 1. Masculum & feminam creavit eos . . . benedixitque illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini . . .* Nec minus aperte *cap. 2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi: dein paucis interjectis: quamobrem relinquet homo Patrem & Matrem suam & adheret uxori suæ. Quæ verba nonnisi de Matrimonii institutione intelligenda esse Deus ipse demonstrat *Matth. 19.* dum ex his infert: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit homo non separet.**

Prolati hæc Scripturarum Oraculis mire etiam concinit *Apost. 1. ad Corinth. 7.* *His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus. Et infra: si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit Virgo non peccavit: Porro & vir & virgo peccavissent, si Matrimonium res mala & illicita fuisset.*

Non abfimiliter *1. ad Timoth. 4.* *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrina Demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium prohibentium nubere; ac demum ad Hebræos cap. 13. Honorabile concubium in omnibus, & thorus immaculatus. Quo certe nihil discretius, ad illorum obstruenda ora, qui Matrimonium rem malam & illicitam esse debilerant.*

Quia & hoc aliud addiderim, Christum ipsum cum Matre & Discipulis suis nuptiis in Oppido Cana celebratis adfuisse, easque præfentia sua probatas voluisse; quibus certe non adfuisset, si res mala atque illicita nuptiæ existissent.

Neque obest si forte dixerit, consilia Evangelica, quæcumque illa sint, non repugnare divinæ Legi, & institutioni a Deo factæ, ut ex hoc inferant, quod si insinuat Apostolus *1. ad Corinth. servare virginitatem; his verbis Consilium autem do, horum alterum dicendum est, aut Matrimonium non fuisse divina lege institutum, aut hoc Apostoli Consilium repugnare institutioni Matrimonii a Deo factæ.*

Ad cujus resolutionem facite ut duo tempora distinguamus. Tempus scilicet necessitatis, quo genus humanum exigeret propagationem; & tempus, quo genus humanum propagatum sat esset. Eo primo tempore consilium servandæ virginitatis non valeret, cum tunc Matrimonium in præcepto esset; quod ipse etiam *S. Thomas art. 2. ad 1.* loquens de præcepto Matrimonii declarat his verbis: *Præceptum illud non est revocatum, nec obligat unumquemque, nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generati vacaret.* Quinimo non desunt Theologi plerique asserentes, eo in casu Monachos ipsos, non obstant voto virginitatis elicto, ad matrimonia incedenda tenendos esse, non alia ratione ducti, quæ si tempore necessitatis tenentur defendere Rempublicam, eo magis tenentur defendere humani generis propagationem, cum longe major istiusmodi necessitas censetur. Tempore vero factæ sufficientis humani generis multiplicationis, virginitas est in consilio, cum tunc Matrimonium in præcepto esse



se deserit. Cum ergo consilium illud Apostoli tempus respiciat sufficientis multiplicationis jam factæ, non est cur quidquam ex eo Apostoli consilio aduersus statutam sententiam arguti disputatores evincant.

Querendum hic videretur de præcepto Matrimonii; At in sequentibus erit aptior hac de re dicendi locus.

## P L E E L E C T I O I I I.

Matrimonium neque in Veteri, neque in Novo Testamento singulis in præcepto fuisse, probatur.

**M**atrimonium tum naturali, tum divina lege institutum adeoque rem bonam esse, superiori Exercitatione demonstravimus. Encratarum, Marcionitarum, Manichæorum, cæterorumque cavillationes, satis opinor confutavimus. Officii nostri ordo nunc postulat, ut ad aliam quæstionem eventilandam accedamus a viris Theologis agitari solitam, num detur de Matrimonio præceptum singulos obligans?

Quod ut facilius præstem, sciendum est, non quæri a nobis in præsentia, an in ipso mundi exordio omnes ad inuenda conjugia tenerentur, cum certo constet, tunc ad humani generis propagationem Matrimonium omnibus in præcepto fuisse. Queremus solum an statim a Diluvio detur præceptum hoc singulos obligans, quo tempore habetur sufficiens humani generis propagatio. Hoc opus, hic labor est. Cum enim Theologorum aliqui certum in veteri Testamento de procreanda prole mandatum extitisse sibi fingant, primum quidem ad humani generis, tum ad Iudaici populi propagationem, necessaria veluti consecutione contendunt, Matrimonium singulis in præcepto fuisse.

Nobis cum bona Theologorum istorum venia longe videtur aliter; statimisque Matrimonium in veteri Testamento singulis in præcepto non fuisse, ut ex eo colligamus multo minus in novo dari præceptum hoc singulos obligans.

Id liquet in primis virorum Sanctissimorum exemplis, qui castitatem etiam in veteri lege servarunt, quam certo certius non servassent, si tunc temporis Matrimonium in præcepto fuisset. Hanc omnium consensu servarunt Josue, Elias, Eliseus, Jeremias, Daniel, Misach, Sidrach, & Abdenago: quin & illud notandum velim, eorum aliquos, quos inter Daniel erat & Abdenago, e Tribu Juda, ac etiam Davidica stirpe prognatos esse, in qua potior procreanda proles ratio fuisse videbatur; quod ex ea Messias esset oriturus.

In eundem censum referendi sunt & Esseni, peculiaris apud Hebræos Sectæ viri in communi societate degentes absque foeminis, & abdicata re veneræ, summaque apud suos virtutis ac pietatis laude conspicui: Ex Josepho lib. 2. de bello Jud. cap. 7. & lib. 18. Antiqu. cap. 2. Quin etiam Mariam sororem Moysis vixisse virginem, ac nunquam Matrimonio junctam scribant D. Ambrosius lib. 1. de Virginibus, & S. Gregorius Nyssenus lib. de Virginitate cap. 19. tamen repugnet Josephus lib. 3. Antiqu. cap. 2. Mariam Matrimonio junctam affirmans? Hæri, qui una cum Aaron Moysis in monte orantis brachia sustentabat Exod. 17. Utrumque tamen ipsa res habeat, id saltem ex Ambrosii & Gregorii sententia colligere licet, illos ne foeminis quidem veritatem in veteri lege Virginitatem existimasse, qui legislatoris ipsius sororem Virgineam censuerunt.

Liquet id periode, ac multo magis Christi, Joannis Baptiste, & Apostolorum exemplo: qui Virginitatem alii licet colerent, alii continentiam abdicatis uxoribus profiterentur; nunquam tamen a Judæis tanquam Legis Mosaicæ eo in capite violatores traducti sunt; quamquam ii in omnem inferendæ accusationis occasionem intenti essent.

Accedit ad Virginitatis virginumque etiam in lege veteri commendationem Isajæ Oraculum cap. 16. v. 4. Hec dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, que ego volui, & tenuerint fadus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & women melius a filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peridit. Quem locum, tamen Interpretes nonnulli de veris Eunuchis intelligant, qui aut sectione partium, aut naturæ frigiditate steriles sunt, atque effecti, de Spiritualibus tamen Eunuchis, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cælorum, seu de servanibus libere, sponteque collentibus castitatem plerique Patrum interpretantur: Hieronymus in Comment. in Isaiam, Augustinus lib. de S. Virginitate cap. 14. Ambrosius in exhortatione ad Virgines, Basilii lib. de Virginitate, Gregorius Nyssenus lib. 3. Cura Past. cap. 29. Consent igitur ii, fuisse in Veteri Testamento spirituales Eunuchos, liberos feliciter castitatis cultores, divino etiam testimonio commendatos: adeo non erat interdicta Virginitas, non erat præcepta copula conjugalis.

Ad hæc etiam ratio distertissima. Si non alia ratione in eo primo mundi exordio singuli tenebantur inire matrimonia, nisi quia singulis curanda propagationis necessitas incumberebat; argumento est, hujusmodi præceptum desisse post diluvium, cum satis & abunde esset genus humanum tunc temporis propagatum, juxta id quod observat Doctor Angelicus in 4. Sent. dist. 37. quest. 3. art. 2. ad 2. Non est inconveniens, inquit, aliquid esse illicitum uno tempore, quod est licitum, vel virtuosum, si alio tempore fiat. Et ideo, si in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini homines operi conjugali insistere volebat, aliquis proprio manu incorruptionem, seu castitatem servasset, omnino peccasset. Sed postea, facta multiplicatione sufficienti humani generis, vel colentium Deum, non peccabat virginitatem servans etiam in lege Moysis, nec faciebat contra præceptum: quia & tunc qualiscumque multiplicatio per alios fieri poterat.

Secundum hanc Doctoris Angelici observationem nullius negotii est, adverse partis momentis satisfacere. Quod enim ex cap. 1. Genes. v. 28. solet obrudi: Benedixitque illis, seu Protoparentibus, & ait, crescite, & multiplicamini, & replete terram: uti & alterum Genes. 9. v. 1. Benedixitque Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos, crescite, & multiplicamini, & replete terram: Tribus modis excipi potest. Ut præceptum re ipsa non sit procreanda proles, sed benedictio potius fecunditatem spondens, & adpromittens. Cujus rei argumentum est, quod eadem omnino verba brutis etiam animantibus, statim atque condita sunt, dicta legamus, v. 22. cap. 1. quamquam sint illa suscipiendi mandati penitus incapacia. Secundo, ut præceptum sit temporarium, certo, scilicet, tempore duraturum, donec sufficiens humani generis propagatio fieret, non coactans, atque perenne. Tertio, ut præceptum speciem hominis spectet, non individua speciei, Republicam, non singulos de Republica. Unde & plerique Patrum existimant, Abelem Adæ filium vixisse cælibem; & Noemum, transacto Diluvio, audito licet Dei verbo, cre-

scire

scite & multiplicamini, non ultra filios peperisse; quamquam annos totos trecentos quinquaginta supervixerit.

Non absimiliter, quod Exodi 23. v. 26. scriptum est, Non eris infuscanda, & sterilis in terra tua: & Deuteronomii 7. v. 14. Non eris in te sterilis utriusque Sexus, tam in hominibus, quam de gregibus tuis. Triplici quoque via diluitur: 1. ut interdictum re ipsa non sit colendæ castitatis, & continentia, sed promissio futura fecunditatis in terra promissa. Equis enim certo Dei mandato, aut veritatem sterilitatem dixerit, aut præceptam fecunditatem; cum ex plerumque a voluntate minime pendeant, sed a naturæ dispositione? Aut quis interdictum etiam pecudum gregibus factum sibi finxerit? 2. Ut, si quod colendæ continentia interdictum hominibus factum iis verbis exprimitur, ad initia duntaxat Judaicæ Reipublicæ referatur, dum Dei cultorum numerus augendus erat; non ad secuta inde tempora quibus fidelis Deo populus sat bene fuerat propagatus. 3. Ut vitiosa sit lectio Exodi 23. v. 26., nec legendum, Non eris infuscanda, & sterilis in terra tua: Sed verius, ac certius, Non eris infuscanda, & sterilis terra tua: Ita quippe Textus Hebraicus habet, ac Latini etiam Codices bene multi. Quare promittitur ibi fecunditas terræ Chanaanæ, non hominum eandem illam incolentium.

Ais tamen mihi: Sterilitas saltem in veteri Testamento probro erat, ac dedecori, imo instar maledictionis habebatur: Osee 9. Da vis vulviam sine filiis, & ubera arenia. Hinc Rachael ubi peperit filium, abstulit, inquit; Deus opprobrium meum. Gen. 30. Et Anna Helcanæ uxor, Reg. 1. cap. 1. Vehementer angebatur, quod Dominus conclusisset vulviam ejus. Ex adverso, fecunditas pro summa felicitate, & benedictione habebatur: Isa. 26. Beatus, qui habet semen in Sion, & propinquus in Jerusalem: & Luca 1. Elisabetha, cum primum Joannem in lucem edidit, congratulabantur vicini, & cognati, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa.

Sit ita sane, sterilitas in veteri Testamento probro fuerit: ita ne quoque virginitas probro fuit, aut idem forte censetur esse virginitas, quod sterilitas? Absit. Sterilitas quippe impotentia est rei venere faciendæ naturæ vitio oborta; & in eo duntaxat censetur esse, qui generare cum velit, non potest tamen. Virginitas autem abdicatio est rei venere ex libera voluntatis electione profecta; & in eo dicitur esse, qui generare cum possit, majoris tamen perfectionis studio non vult. Prior probro fuit, ac instar maledictionis est habita, in conjugatis, qui quem vellent maxime conjugii fructum, obtinere non possent. Altera laudi semper fuit, & gloriæ; quia facere quod possit Virgo, altioris perfectionis studio non facit. Idem proportione de fecunditate sentiendum. Est hæc in conjugatis summa felicitas, & larga benedictio; quia, quod optant in conjugio bonum hoc assequuntur: sed, & major extra conjugium felicitas est servata virginitas; quia, quod Virgines quarunt excellentius bonum carnis, scilicet, incorruptionem, assequuntur, juxta illud Sap. 3. Felix est sterilis, & incontinentia, que nescit vitiorum in delicto, habebit fructum in refectione animarum sanctarum. Prior carnalis felicitas est, posterior spiritalis.

Quorsum ergo, inquires, cum Jephthe victor reversus conceptum Deo votum filie sue significasset, futurumque dixisset, ut eandem virginem adhuc Deo, pro ut voverat, immolaret; duorum illa mensum inducias petiit, quo montes circumcundo, plangeret virginitatem suam; hoc est largas

lachrymas effunderet, quod Virgo sine liberis mori cogere? Erat ergo non modo in conjugatis sterilitas, sed, & in puellis virginitas indecora.

Plane sic erat, & indecora, & lachrymabilis virginitas, qualis tamen in filia Jephthe inventa est: virginitas, inquam, non sponte electa, sed necessitate imposta; quæque nec virtus, nec veri nominis virginitas est. Flebat enim puella infelix, quod desiderium prolis, quæ fervebat, explere non posset: corpore quidem integra, animo tamen, atque affectu viciata. Nos alterius longe fortis, & conditionis virginitatem in veteri Testamento permittam dicimus, ac etiam celebratam.

His igitur de Matrimonii præcepto plenissime constitutis: Alteram Scholæ Magistri quæstionem de Polygamia solent agitare, qua ut novam, uberemque dicendi materiam præbet, ita peculiari ac distincta tractatione pertractabitur in sequenti.

## P R E E L E C T I O I V.

Polygamiam virilem repugnare juri naturali primario; Muliebrem secundario Matrimonii fini contrariam esse; quamcumque Polygamiam prohibitam esse Lege Evangelica, multis ostenditur.

**D**e Polygamia in præsentia sermonem habituri, graves ac falebrosæ controversiæ non modo dirimendæ a nobis erunt, quam numero multæ ac permolestæ difficultates sub ipso statim initio simpliciter explicandæ. Idcirco nos in certas veluti classes disputationem hanc partiri cogemur, ut ordo saltem in dicendo servatus argumenti amplitudinem facilem reddat, & expeditam.

Ac primo statim controversia illa venit in medium: num polygamia virilis, seu pluralitas virorum sub una foemina, repugnet juri naturali primario? E vestigio sequetur altera: num muliebri polygamia, seu pluralitas mulierum sub uno viro pugnet contra jus naturale secundarium? Succedet suo ordine tertia: An polygamia quæcumque, prohibita sit lege Evangelica; De quibus ex ordine differendum est nobis. Ordiamur itaque a prima.

Polygamiam repugnare juri naturæ liquet in primis ex eo, quod nulla unquam lege permittam legitimus, hominem posse pluribus uxoribus copulari, ut docet S. Thomas art. ad 7., & 3. contra Gentes cap. 124., & fufius expendit Augustinus lib. de bono conjug. cap. 17. his verbis: non sicuti uni viro plures habere licebat uxores, ita uni foemine plures viros. . . . Et paulo post: duobus seu pluribus maritis vicis nullam legitimus servasse sanctarum; plures autem foeminas uni viro legitimus conjunctas.

Accedit in hujus probationem ratio meo quidem judicio decretoria, & a S. Thoma insinuata infra quest. 65. art. 3. in corpore. Ea certe dicitur actio contra legem naturæ, quæ repugnat fini debito, quem principaliter vel secundario intendit natura. Virilis porro Polygamia repugnat juri primario Naturæ utpote contraria ne dum fini primario Matrimonii, qui procreatio prolis est; verum etiam secundario, qui in pace, tranquillitate, & bona familie educatione consistit. Opponitur primo procreationi; cum heterogenea feminum mixtio sæpius impedit generationem, cum ob hanc causam steriles fieri meretrices ut plurimum videamus. Opponitur secundo paci, educationi, & tranquillitati familie; nam consilio potius haberetur in familia, quæ pluribus dominis subiecta esset, juxta tritum illud ætatum, ubi multitudo ibi confusio. Alteram controversiæ caput: num muliebri polygamia seu pluralitas foeminarum sub uno



uno viro juri naturali repugnet, seu fini primario, & secundario Matrimonii, haud ita facile definirim. Sunt enim inter Theologos non pauci, inter quos Durandus, Joannes Gerson, Michael Medina, Coninkus, Martinus, qui muliebrem polygamiam, neque primario, neque secundario Matrimonii fini repugnare contendunt. Hinc necessaria veluti consecutione deducunt, Patriarchis, & Judaeis Divina dispensatione opus non fuisse, ut licite plura simul inirent matrimonia; nec peccasse quondam Gentiles, qui pluribus mulieribus copulabantur; Sunt alii e contra, quibus, & ego subscribo lubentius, qui muliebrem polygamiam fin primario Matrimonii fini minime repugnantem, secundario tamen utut maxime contrariam affirmant.

Id sane explicate, ac distincte asserit S. Thomas, ubi scribit, pluralitatem uxorum neque totaliter tollere, neque aequaliter impedire primarium finem Matrimonii, cum solus homo possit plures uxores secundare, & solus etiam filios ex eis natos educare; Secundarium tamen et si non totaliter tollere, multum tamen impedire, eo quod nec facile pax haberi potest in familia, nec unus vir pluribus uxoris potest satisfacere ad votum; tum etiam quod communicatio plurium in uno officio plerumque causat lites; Haec S. Thomas *infra quest. 65. art. 1. in corpore.*

Et sane si rem haec paulo penitius pensitemus. Quae pax rogo vos, quaeve pacifica cohabitatio haberetur in familia, in qua vir pluribus uxoris junctus esset, quarum quaelibet sola vellet regere, & gubernare, & una semper alteri invidere? Hac sane de causa legimus *Gen. 21.* Saraim Agar domi tolerare non potuisse; & *cap. 30.* Rachelem Liae propter fecunditatem invidisse. Quot non oborirentur in dies inter virum, & uxores dissidia, & rixae, cum una mariti affectum erga aliam ferre minime posset? Idcirco Euripides, qui duas habebat uxores, teste Aulo Gelio *lib. 15. Noct. Attic. cap. 20.* in Andromache incessanti voce clamabat.

*Numquam duplicia convivia collauda;  
Neque binas matres habentes liberos  
Rixas quidem domorum tristisque offensas.*

Quae paria jura inter sese conjugati fervarent, si vir pluribus mulieribus junctus esset, cum singulae earum traderent plenum sui corporis dominium in virum, vir autem non traderet in singulas uxores?

Quid plura? Romani ipsi, qui naturalis justitiae observantiores pro ceteris semper sunt habiti, nequidem sterili existente uxore, alteram superducere legitimum censuerunt, ut refert Augustinus *lib. de Bona Conjug. cap. 7.* Leguntur etiam in Codice perantiqua Romanorum Idololatrarum leges, quae tolerabant quidem concubinarum pluralitatem, prohibebant vero nuptias cum pluribus, quae uxorum honore, & loco habende erant. *Neminem* (sunt verba legis latae a Diocletiano, & Maximiano Augustis *lib. 1. Cod. ad Leg. Jul. de adult.*) qui sub divione sit Romani nominis binas uxores habere posse vulgo putat, cum etiam in edicto Praetoris hujusmodi viri infamia notati sint. *Quam eam comparans Juxta instans esse non patiamur.* Quin, & illud addiderim; In Jure Civili ab Ethnicis Principibus infamia notatos legimus Polygamos.

Neque obest, quod nonnulli nobis obtrudunt, Julium Caesarem, ut ait Svetonius, multisque subinde temporibus Valentinianum Imperatorem Christianum, referente Socrate *lib. 4. cap. 26.* tulisse leges, quibus uxorum pluralitatem permittebant.

Id namque ab iis factum editumque fuit non naturae legis impulsu, nec publica utilitatis respectu, sed ut privatum incontinentiae dedecus publico occultarent exemplo; unde legitimus, leges illas quocumque tempore obsoletas fuisse, & a communi populi Romani consensu reprobatas.

Illud tamen praesertim huic secundae parti finem imponam, a studiosa Juventute notandum velim, quod dum in superioribus diximus, Polygamiam muliebrem non repugnare juri naturali primario, seu fini primario matrimonii, id esse intelligendum de Polygamia in certo & moderato uxorum numero, quas unus vir secundare per sese possit. Nam si tantus esset uxorum numerus, eo in casu vim generandi enervaret, indeque sterilitatem potius produceret, ut observavit Plutarchus in *vita Licurgi, & libello de gravitate, & lib. 5. de placitis philosophorum;* & ut liquet Salomonis exemplo, qui licet Reginas septingentas uxores, concubinasque trecentas habuerit, nihilo tamen minus Roboamum, & duas filias tantum Eraphet, & Basemat ex iis suscepisse legitur; *Reg. 4.* unde haec de illo ait Suidas; *Ex mille uxoribus solus illi natus est Roboam filius.* . . . Cui & illud addiderim, quod Theologi bene multi apud Abulensem observant, Salomonem non ideo reprehendi sacris in litteris, quod plures uxores, sed quod plurimas duxerit: scriptum est enim *Deut. 17. Rex non habebit uxores plurimas.*

Tempus est jam, ut quaecumque polygamiam prohibitam esse lege Evangelica, quae tertiae propositae dispensationis pars est, ostendamus.

Id itaque liquet ex primava Matrimonii institutione, in qua colligimus Deum non pluribus foeminae, sed uni tantum primum hominem copulasse: *qui fecit hominem, ab initio masculum, & foeminam creavit eos. Matth. 19.* quae verba exponens Hieronymus, statim haec subdit: *dicens masculum & foeminam ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait masculum & foeminas, sed masculum & foeminam, ut unius conjugii consortia nescerentur.*

Primum hoc probationis momentum, alterum confirmat & roborat a Scriptura petitur. *Marc. enim 10.* legimus, cum Mæchum & adulterum vocitari, qui dimissa prior uxore, etiam fornicationis causa, alteram ducit. Quo ex loco ita liceat disputare. Si ergo adulterat & mæchatur, qui etiam causa fornicationis priorem dimittit uxorem, a fortiori adulterabit & mæchabitur, qui retenta priori secundam ducit, ut recte inquit Innocentius III. *in cap. Gaudemus de divoritiis,* ubi haec habet: *sane veridica haec sententia* (nulli scilicet Christiano licitum esse pluribus uxoris copulari) *probatum etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio, quicumque dimiserit uxorem suam, ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad impariam judicentur, circa matrimonium reprobandam:* Quibus sane rationibus moti Tridentini Patres id tandem aliquando contra Lutherum, & Anabaptistas *sess. 24. Can. 2.* definiturunt: *si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Divina lege esse prohibitum, anathema sit.*

Omnibus hinc productis momentis adderem Ecclesiae praxim, qua si infidelis quispiam, qui pro more gentium suarum plures duxisset uxores, veram Religionem susciperet, jubet, ceteras omnes relinquere, & priorem tantum juxta legitimamque uxoris loco tenere, ut habetur *cap. Gaudemus Ext. de divoritiis.* Quod certe non juberet Ecclesia, nisi muliebri polygamia esset Divina lege prohibita.

Suffra-

Suffragatur & ratio disertissima: si polygamia quocumque tempore a Deo prohibita non fuisset, eam maxime tunc temporis instituisse, quo mundus exigebat propagatione. Hoc porro non constat: nam *Genesis 4.* legitimus quidem, Lamech duas uxores accepisse, sed ob haec causam legitimus etiam reprehensum fuisse a D. Hieronymo *lib. 1. contra Jovinianum cap. 8.* & a Nicolao I. ad consulum Bulgarorum *cap. 1.*

PRÆLECTIO V.

*De Polygamia Veterum Patriarcharum differitur; & num extendatur ad barbaras Gentes, quaeritur.*

Polygamiam virilem juri naturali primario repugnantem, muliebrem secundario Matrimonii fini contrariam ostendimus; Polygamiam tandem quaecumque Divina Lege prohibitam multis evicimus; quoniam tamen huic statuta sententia repugnare videtur Judæorum exemplum non modo eorum, qui non ita luculentum sanctitatis testimonium praebent, ut Salomonis, qui reprehenditur *4. Reg.* eo quod uxores quasi reginas septingentas suscepit, & concubinas trecentas, quae averterunt cor ejus, uti etiam Regis Roboam, qui uxores suscepit decem & octo, concubinas autem sexaginta *2. Paralip. cap. 11.* verum maxime eorum, qui elegans sanctitatis, Religionis, pietatis testimonium praebere, ut Abrahæ, qui Saraim, Cethuram & Agar uxores habuit *Gen. 6. Jacob, qui quatuor simul duxit Lyam, Rachel, Balam & Celpham. Gen. 29. & 30.* Helchana, qui Annam & Phenenam. *1. Reg. 1. Moyses, qui Mariam & Ethiopissam uxores habuit Num. 12.* Idcirco quomodo talia exempla cum lege naturali atque Divina conciliari possint, nobis est in praesentia demonstrandum. Joannes Calvinus non habens unde eos posset excusare, gravissimi criminis reos fecit uti legis Naturalis violatores.

At id non videtur congruere Scripturarum momentis; quandoquidem *Matth. 8.* promittitur electis fore, ut recumbant cum Abraham in regno Caelorum; & *Lucæ 16.* legimus, Lazarum ab Angelis in sinu Abrahæ ut in locum felicitatis fuisse deportatum. Quae sane piissimo Patriarchae non congrueret, si ob uxorum pluralitatem legis naturalis violator extitisset.

Dicam verius: Errat longe turpissime Joannes Calvinus, si ob haec causam veteres Patriarchas gravissimi criminis reos fecit. Nam legimus *2. Paralip. 24.* Jojadam summum Sacerdotem laudari, eo quod Jojazo Regi Juda duas uxores tradidisset.

Quin hoc aliud addiderim, nupsiam legi sacris in litteris ob id quempiam reprehensum fuisse: imo ita ductas mulieres sexcentis in locis uxores appellari. Absit ergo ut de iis sanctissimis viris tam temere sentiamus.

Sunt alii qui sustinent, Patriarchas illos aliofque religiosissimos viros polygamos non fuisse, tamen variis mulieribus junctos; quia ex iis una duntaxat vera & propria uxor erat, cetera concubinae; Nam *Gen. 25.* Agar & Cethura vocantur concubinae Abrahæ, ut asserit Leo Magus *Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem.*

Sed minus vere: 2. enim *Genesis 29.* narratur expresse contractum Jacobi Matrimonium cum Lya etiam ante Rachelem; & sexcentis aliis in locis concubinae vocantur etiam uxores; Ita *Gen. 16. 25. 30. 35. & 1. Paralip. Agar, Cethura, Bala, Celpha modo concubina modo uxores appellantur.* Quod ergo Agar & Cethura vocentur hic concubinae, idcirco est, quia sacris in litteris con-

cubina non ea semper, qua modo, sumitur accensione. Nunc enim concubina ea dicitur, quae domi retenta est, & concumbit extra Matrimonium. Tunc vero aliquando eo nomine vocabantur verae uxores, vero matrimonio junctae, sed sine solemnitatibus, sine titulis honoris & dignitatis, & sine jure hereditatis filiorum; tum quae impari essent conditione. Qua de causa legimus *Gen. 21. Quod cum vidisset Sara filiam Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham. Ejae Ancillam hanc & filium ejus. Non enim erit heres filius Ancillae cum filio meo Isaac.* Nec abhorret ea concubinarum acceptio a jure Canonico; nam Concilium Toletanum I. *Can. 17.* haec ait: *qui uxorem non habet, sed pro uxore concubinam a communione non repellatur.* Et in Decreto Gratiani *dist. 34.* Christiano non est licitum, nisi unam tantum uxorem habere, aut certe si conjux deest, loco uxoris concubinam. Sunt tandem alii, qui veteres illos Patriarchas hoc pacto excusare admittunt. Ideo, inquit, sanctissimi illi viri priori ducta uxore alias sibi Matrimonio junxerunt, quia fuit de consensu prioris id factum; & in probationem afferunt, quod legitur *Gen. 16.* nimirum ipsammet Saraim Abrahamum induxisse, ut ingrederetur ad Agar, imo ipsammet dedisset eam viro suo uxorem.

Inepti prorsus excusatio! Non sufficit consensus uxoris ad hoc ut aliam maritus ducere possit; esset enim in rem illicitam, & inhonestam, proindeque damnandum.

Quid ergo certi atque constantis in tanta nos diffensione statuemus? Id unum pronunciamus; Deum eo in capite legis naturalis antiquos illos Patriarchas dispensasse.

Quod ut percipiat studiosa Juventus, eam sub ipso statim initio monitum velim, duo esse distinguenda praecipua legis naturae. Alia quae pertinent ad ipsius naturae legem veluti principia juris naturalis; cujusmodi sunt amare Deum, parentes honorare, vitare homicidia, furta, adulteria, mendacia, quae cum per se mala sint, idcirco a Deo dispensari minime possunt. Alia sunt, quae ex hinc principii veluti consecutaria derivant, quae cum per se mala non sint, sed ideo mala quia prohibita, proindeque a Deo a quo unice processerunt, attentis aliquando rerum & personarum circumstantiis dispensari possunt. Hujus generis extitere praecipua illa de infante non occidente, a quo Deus dispensavit Abrahamum, ut immolaret filium suum; item praecipuum illud alterum de sorore non ducenda in uxorem, a quo Deus dispensavit filios primorum Parentum; quae licet etiam fuit ne unus vir plures ducat uxores, a quo potuit Deus dispensare, cum hoc non repugnet juri primario naturae, sed tantum secundario, ut multis in antecessum argumentis ostendimus. Ab hac igitur naturae lege sanctos illos Patriarchas Deus principaliter dispensavit eo maxime tempore, quo oportuit praedictam naturae praecipuum praetermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae; nam ut ait D. Thomas *4. sent. dist. 33. quest. 2. Art. 2.* *semper principalior finis magis conservandus est, quam secundarius: Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire; ad quod removendum praecipuum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.*

Quin & illud addiderim: praefcis iis Patribus eam factam fuisse dispensationem ad Divina significanda mysteria, quandoquidem in duobus illis Abraham filiis, quorum unum ab uxore libera, alterum a serva suscepit, adumbratum legitimus ab Apo-



Apostolo *Epist. ad Galat. 4.* ubi nomine duorum filiorum Novum & Vetus Testamentum per metaphoram subintelligendum esse pronunciat. Non me fuit importunos quosdam cavillatores productis hinc rationibus hoc pacto opponere solitos. Si Deus, inquit, idcirco iis Patribus uxorum pluralitatem dispensasset, quia necessaria esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandam, eam certe initio mundi, & statim a diluvio dispensare debuisset, quia tunc potior procreanda prolis ratio fuisse videbatur. Id porro non fecisse Deum constat ex eo maxime, quod legimus, Adam, Noe & filios eius unicam uxorem habuisse, nec plures unquam suscepisse.

Argute sane atque subtiliter disputatum. Sed nihil ad institutum. Ideo enim Deus voluit Adam uni tantum junctam uxori & non pluribus; ne si primo homini muliebrem polygamiam licitam divina sua dispensatione fecisset, quis falso putaret semper & ubique licitam fecisse tanquam ex prima Naturae institutione profectam. Noe vero & filii sui non erant cur dispensaret; nam praeter illas, quas ante diluvium duxerant in uxores, nullae aliae post diluvium supererant. Et eni propositi Enigmatis solutionem.

Majorem fortasse in vestrum animis difficultatem excitabit ea, quae loco ultimo disputationis pars remanet eliquanda; videlicet num ea dispensatio in Polygamia praefata iis Patribus a Deo peculiariter facta, ad totam Judaicam gentem pertinuerit? Quae sane controversia est soluta facilis, nec dubitaverim affirmare, hujusmodi dispensationem Soli Judaicae genti fuisse a Deo factam, si ex Sacris Litteris expendatur.

Voluimus itaque Scripturas, & ab iis tanquam a publicis tabulis aserti hujusce nostri veritatem eruamus.

Accedit in primis quod legitur *Deut. 21.* Si habuerit homo uxores duas; unam dilectam & alteram odiosam; generitque ex eis liberos; & fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum & praeferre filio odiosae, sed filium odiosae agnoscat primogenitum, dabitque ei de his, quae habuerit cuncta duplicita. Quo ex loco colligitur, loqui de duabus uxoribus tanquam de re non nova, sed communiter accepta, & de duobus filiis suis tanquam de heredibus, quibus erat facultas communiter dividenda.

Confirmat hoc vel maxime quod legimus *Levit. 18.* aliam scilicet a Marito uxorem duci posse prima etiam vivente, dummodo, ea, quae ducitur, prioris uxoris soror non sit: *Sororem uxoris autem in pellicatum non accipies.* Quae sane verba perpendens Augustinus haec subdit, *quest. 62. in Levit. hic non prohibuit superduere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis, sed sororem sorori noluit superduci.*

Id non minus egregie, & luculentè evincunt alia non pauca Scripturarum Oracula.

Videmus enim 2. *Paralip. 24.* Jojadam Summum Sacerdotem laudari eo quod duas Regi Joas dedisset uxores.

Non abimiliter legimus 2. *Reg. 12.* Nathan Prophetam narrantem magna beneficia Davidi a Deo data, illud praeter ceteris maximum memorare, quod in sinu eius dedisset uxores Domini sui. Ex quibus evidens est, nec Jojadam Summum Sacerdotem ob id laudatum fuisse, nec Prophetam id pro maximo beneficio a Deo Davidi factio memorasse, si Deus Judaico populo id exemplo veterum Patriarcharum non dispensasset.

Accedit in hujusce veritatis confirmationem exemplum Esau, qui ut patri suo placeret, praeter uxores duas, quas duxerat de filiabus Heth, tertiam duxit filiam Ismaelis.

Cui addiderim illud alterum Helcanae, qui duas habuit uxores, Annam scilicet & Fennenam, & alia multa, quae passim sacris in litteris perleguntur exempla. Quod certe illos fecisse liquet non vi peculiaris cujusdam revelationis a Deo factae, sed exemplo priorum Patriarcharum, quibus a Deo fuit peculiariter dispensatum.

Non omiserim tandem observare, nusquam legi, Prophetas ea de re Judaeos reprehendisse, cum ab iis tamen caetera eorum scelera reprehendantur; nec usquam videre est, Patres de Judaeorum polygamia uti de re illicita fuisse loquutos, quos tamen reprehendissent, & polygamiam uti illicitam reprobassent, si hanc revelatione, non jam eorum singulis peculiariter facta, sed Abrahæ illorum parenti, ac per ipsum caeteris, non exercuissent.

Quibus omnibus ad liquidum perductis, id unum aliquibus primae etiam notae Theologis venit in dubium, num ea dispensatio quemadmodum Judaico populo, caeteris etiam barbaris gentibus a Deo facta fuerit.

Bejaminus putavit hujusmodi dispensationem olim a Deo omnibus Gentilibus fuisse factam, tam quia Regio, in qua natus Jacob, Gentilium erat non Hebraeorum, & Laban, cuius filias accepit in uxores, Idolorata erat, ut liquet ex 1. *cap. Gen.* tum quia in terris illis, ubi duxit uxores quatuor Sanctissimus Patriarcha, polygamia in usu erat; tum etiam quia consuetudinem illam accusandam non fuisse discretissimis verbis affirmat Augustinus.

In qua tamen enodanda quaestione, an hoc verum an falsum sit, non inquiram; verosimilium putarem ego, soli Judaico populo per Abraham patrem suum polygamiam dispensatam fuisse.

Quod ut afferam, movet me ratio non una, sed multiplex.

Prima haec est: Ideo Deus Abrahæ, caeterisque Patriarchis, & per eos toti Judaico populo polygamiam dispensavit, quia ut Patres bene multi observant, erat maxime necessaria ad propagationem populi circumcissionis. Quin imo praefati illi Patres ut docet Augustinus *lib. de bono Conjug. Cap. 19.* ea peculiari dispensatione, de suis nuptiis filios propter Christum querebant ad genus servandum carnem distinguendum ab omnibus gentibus. Quo pacto igitur fieri potest, ut ea dispensatio etiam Gentilibus a Deo facta intelligatur, si hi non erant populi circumcissionis, imo si ea habita dispensatione querebant praefati illi viri distinguere a Gentilibus genus suum? Qua ratione motus Innocentius III. eam dispensationem ad solos veteres Patres eorumque posteros restrixit *Cap. gaudemus* his verbis: *nullis unquam licuit, nisi cui sunt divina revelatione concessum . . . per quam . . . Patriarchae & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.*

Crescit in immensum propositi argumenti pondus, si in Ecclesiae praxim mentem aliquantum convertamus. Si enim ante Christi legem Polygamia fuisse Gentilibus dispensata, certo certius Ecclesia collato baptismate ea matrimonia nequamquam irrita declararet, quae pro more gentium suarum cum pluribus uxoribus contraxissent, nec juberet caeteras quascumque relinquere, & primam tantum firmiter adherere, uti declaravit Innocentius III. *lib. 4. Deverbalium Cap. Gaudemus*, dum iussit, ut paganus conversus ad fidem ex muliere, quas in Gentilitate duxisset, uxoribus, caeteras omnes dimitteret, & priori tantum adhereret. Quacumque igitur Polygamia penitus ablegata, restat, ut de Matrimonii indissolubilitate differamus. At quia nobis sat otii & temporis non sup-

suppetit; iccirco in diem alteram cumulatissime disputabimus.

## PRAELECTIO VI.

*Matrimonium tum ut ratum, tum etiam ut consummatum, ex naturae lege indissolubile, ostenditur.*

Explicatis in hanc usque diem variis Matrimonii acceptionibus, distinctoque tempore, quo singuli ad ineunda conjugia tenebantur; virile tandem & muliebri polygamia penitus ablegata, restat ad instituti coronidem, ut de illius indissolubilitate differamus.

Hanc porro spartam ut pro modulo nostro quantum Theologi officium postulat feliciter adornemus, quaestionem hanc statim ad duo capita revocabimus, ostendemusque Matrimonium tum simpliciter ut ratum, tum etiam ut consummatum ex naturae lege indissolubile esse. Ordiamur a primo.

Tale est Matrimonium ex ipsa naturae lege, quale fuit a Deo primitus in Paradiso Terrestri institutum: In id porro Theologi universi consentiunt, Matrimonium tunc temporis ratum esse, & a Deo indissolubile institutum fuisse; Tale igitur ex ipsa naturae lege dicendum esse quis neget?

Hanc postmodum naturae legem expressis verbis confirmat positiva lex Dei ab eo primum in Paradiso prolata 2. *Genesis*: *relinquet homo Patrem & Matrem suam & adheret uxori suae, & erunt duo in carne una.* Quo in loco observet quosvis studiosa Juventus, vocem illam *adheret*, hebraice significare firmissimum nexum, ut notant bene multi hebraicae linguae peritissimi viri.

Legem Dei renovavit itidem Christus *Matth. 19.* ubi postquam ait propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem suam, . . . paucis interjectis haec subdit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quae verba respiciens Apostolus haec ait 1. *Corinth. 17.* *is qui Matrimonio juncti sunt praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Et multo luculentè ad *Rom. 7. & 1. ad Corinth. 7.* *Mulierem alligatam esse lege quanta tempore vir ejus vivit.*

Accedit: quod finis Matrimonii est non modo prolem in lucem edere quomodocumque, ac more pecudum, sed editam prolem nutrire, fovere, instituire, atque ad profectum perducere: ad id porro necesse est, vinculum matrimonii esse indissolubile: Nec enim ea praestare commode possunt, nisi parentes perpetuum vitam consuetudinem ineanat; quocirca D. Thomas *quest. 67. art. 1.* haec habet: *Matrimonium ex intentione ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis, unde de lege naturae est, quod parentes filios thesaurizent, & filii parentum heredes sint; & ideo cum proles sit commune bonum viri & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo manere indivisam, secundum legis naturae dictamen, & sic inseparabilitas Matrimonii est de lege naturae.*

Patefit id longe clarius ex *Sess. 24. Concilii Tridentini*, ubi postquam ii Patres perpetuum indissolubilemque Matrimonii nexum divini Spiritus instructo a primo humani generis parente institutum pronunciant cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, Statim subiungunt, eundem nexum firmitatem postmodum confirmasse his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Quid plura in propositae veritatis confirmationem? Infideles ipsi, sola duce naturae lege, repudia & Matrimoniorum indissolubilitatem semper il-

licitam reputarunt, quandoquidem legimus apud Valerium Maximum *lib. 2. cap. 1.* Romanos ab Urbe condita quingentis & eo amplius annis uxores suas nunquam repudiasset. Quin imo primus qui apud Romanos Anno circiter ab Urbe condita 500. uxorem sterilitatis causa repudiavit, fuit Spurius Carvilius, teste Valerio eodem *libro cap. 3. titulo de repudio*, & Plutarcho in *Thesei, & Romuli collatione*, quem idcirco reprehentum legimus, eo quod ita nimiam procreanda prolis cupiditatem conjugalis servandae fidei praerulisset.

Si ex his ergo, quae a nobis huc usque sunt dicta, illud in summa conficitur, Matrimonium simpliciter ut ratum, esse ex naturae lege indissolubile; multo majorem ex consummatione indissolubilitatem contrahere ex iis quae dicemus, apparet.

Liquet hoc primo ex Evangelio *Matth. cap. 19.* ubi interrogatus Christus a Pharisaeis, liceret ne homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa; respondit eis, ne dum licitum non esse, sed (quod notandum magis) cum ei obijcissent mandatum Moysis repudiandi & dimittendi mulieres dato libello repudii, statim subiunxit, id eis permisit Moyses ad duriciem cordis eorum; id tamen ab initio non fuisse sic. Quin imo apertissimis verbis eum moechum & adulterum declaravit, qui dimitteret uxorem suam, & aliam duceret. *Accesserunt* (haec, ne quis dubitet, verba sunt) *ad eum Pharisaei tentantes eum & dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa. Qui respondens ait eis: Non legitis quod qui fecit hominem ab initio masculinum & foemina fecit eos, & dixit propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam & adheret uxori suae; quod ergo Deus conjunxit homo non separet. Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii & dimittere? Ait illis: quoniam Moyses ad duriciem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quod quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur. Quae certe nihil clarius, nihilque discretius desiderari a nobis potest in aserti hujusce nostri probationem.*

Confirmat hoc vel maxime quod legimus *Marci 10.* *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, moechatur.* Porro nec vir adulterium committeret, nec mulier moecharetur, si matrimonium dissolvi posset.

Paria leguntur etiam *Epist. ad Rom. 7. & 1. ad Corinth. 7.* *quae sub viro est mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.* Igitur vivente viro vocatur adultera, si fuerit cum alio viro.

Hujus veritatis probationem alteram peto ex eo, quod Concilia bene multa hinc inde celebrata, & Pontifices de hac Matrimonii indissolubilitate decreverunt.

Extat *Canon numero 48.* inter Canones Apostolorum, quo si omnes jubentur excommunicari, qui prima uxore dimissa alteri copulantur.

Extat *Canon 17.* Concilii Milevitani, & *69.* Concilii Africani, quibus Beatus Augustinus interfuit, in quibus indictum est, ne quisquam audeat secundum Evangelicam & Apostolicam doctrinam, prima vivente uxore, ad alias nuptias transire.

Extat tandem & *Canon 10.* cujusdam Synodi Anglicanae Anno 662. sub Theodoro Episcopo celebratae, in qua statuitur, quemcumque volentem propriam dimittere uxorem, nulli alteri posse copulari, sed ita permanere, aut propter



conjugii reconciliari: adeo verum est, conjugii vinculum quocumque tempore indissolubile reputatum fuisse.

Illud idem de Matrimonii insolubilitate censuisse & tradidisse Pontifices constat ex Decretis & Alexandri III. *Extra de Sponsalibus*, & *Matrimonii*, *Cap. ex parte*; Et Innocentii III. *Extra de divorciis*, *Cap. Gaudemus*; Et Alexandri III. *Cap. quæsit*, & *Cap. significasti*.

Neque his repugnare censendus est Gregorius hujus nominis tertius, quasi qui Matrimonium solubile esse docuerit; dum a Bonifacio Moguntino Episcopo de variis capitibus interrogatus, qualiter de iis teneat ac doceat Romana Ecclesia, hoc illi per Epistolam responsum dedit: *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quod ejus sacro debeat jugalis? Respondeo, bonum esse si sic permaneret, ut continentia vacaret: Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis. Nempe definit, inquit aliqui, Gregorius III. mulieris illius virum, quæ pro infirmitate debitum conjugale reddere nequit, uxorem alteram posse ducere.*

Non est tamen ita intelligendum Gregorii responsum; De ea tantum Muliere intelligere Pontifex voluit, quæ debitum viro reddere nequit, propter infirmitatem Matrimonium precedentem, quæque perpetuam impotentiam adjunctam habet, sed ante Matrimonium non innouerit. Quod utique responsum sic intellectum Matrimonii insolubilitati non adversatur, sed potius congruit maxime toto ferme, titulo de frigidis & maleficiis.

Muneri tamen meo non satisfacere, si omittam productis hinc momentis nonnullas rationes adjungere, valde ad institutum accommodatas. Et primo quidem: Si Matrimonium consummatum non esset suapte natura indissolubile, ita ut ad nutum conjugatorum dissolvi posset, nullum haberetur discrimen inter conjugium & concubinitum; Nam si conjugium in ea tantum fide & assensu consisteret, quam conjugium alteri tradit; cum eandem fidem concubina & vir sibi mutuo præstare possint, concludendum nobis est, aliquid amplius prærequiri in conjugio propter quod a concubinato distinguatur; quod aliud certe esse non potest, quam conjugalis vinculi indissolubilitas. Quod sane in causa fuit, cur fœcunditas in locis solas nuptias commendat Scripturam Oracula, & quemcumque alium concubinitum ita condemnent, ut per eum dicant hominem excludi a Regno Cælorum, ita ad *Rom. 1. ad Ephes. 5. ad Corinth. 6. ad Galat. 5.* Unde Aristoteles ipse solius legis naturalis impulsu fornicarium concubinitum damnavit uti naturæ legi contrarium *lib. 7. Polit. Cap. 16.*

Ratio altera hæc est a S. Thoma insinuata *3. cont. Gentes Cap. 123.* Si Matrimonium consummatum dissolvi posset, injuria irrogaretur uxori, quandoquidem deflorata dimitteretur. *Si quis mulierem* (S. Thomæ discretissima verba sunt) *assumens tempore juvenutis, quo & decor, & fecunditas ei adjunt, eam dimittere posset, postquam a te protubecta fuerit, damnnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem.*

Nec minor inferretur & proli ab eo Matrimonio nata. Demus enim, uxorem aliquam post copulam carnalem habitam a marito suo separari, & alteri nubere. Quis certo scire posset, an proles illa esset prioris vel posterioris mariti? Quæ bona instructio, quæve opportuna sustentatio ab iis filiis haberetur, qui destituti ab uno sub alterius potestatem transirent? Sed quid opus est verbis? Hæc de re plus nos quotidiana illorum filiorum

experientia docebit, qui uno parente mortuo transeunt sub cura Novercæ vel vitrici, quam quæ a me ex cathedra disputante dici possint.

Alteram planiorem ac faciliorem a ratione Theologica petitam adjuverem: Conjuges corpus unum, & una caro sunt Matrimonio non simpliciter rati, sed consummati. Hinc per sacros Ecclesiæ Canones in Matrimonio simpliciter rati relaxatio, seu dispensatio dari aliqua potest, non itidem in consummato; quod illius consummatione conjuges facti sunt corpus unum & una caro. Si ergo ut simpliciter rati Matrimonium est insolubile, multo magis ut consummatum insolubile dicendum erit.

Reponant fortasse aliqui: Si Matrimonium ut consummatum esset naturali jure insolubile, alterutrum fateri cogemur, vel Matrimonium nullo in casu solvendum esse; vel eos esse incusandos Pontifices, qui Matrimonia non dum rata, sed etiam consummata aliquando solvi judicaverunt; cum in his que juris natura sunt, dispensari minime possint. Hoc porro judicasse Pontifices, ostendunt in primis ex eo, quod Cælestinus III. definierit, Matrimonium inter fideles contractum omnino solvi, si conjugum alter a fide defecerit: adeo ut qui perseverat in fide, possit alterum cum altero contrahere Matrimonium. Hoc probant testimonio Innocentii III. R. Pontificis, *Cap. quanto de divorciis*. Ille enim de hac ipsa questione interrogatus, respondit quidem Matrimonium eo etiam in casu non solvi, mulieremque a viro in infidelitatem lapsa derelictam, alteri viro propterea jungi non posse, subjungit vero, *licet quidam Prædecessor noster aliter sensisse videatur; ad marginem autem notatur Decretalis laudabilem Cælestini III. de conversione conjugatorum*: ubi non solum aliter sensisse videtur Cælestinus, sed palam aperteque pronunciat. Non exrat modo Decretalis illa Cælestini in novis Decretalium collectionibus, a quibus expuncta fuit; extat tamen in peculiaribus Decretalium resectorum collectione, quam ad Eruditorum informationem Antonius Augustinus adornavit.

Liquet non absimiliter ex responso Alexandri III. *Cap. licet de Sponsa duorum*, judicasse Pontifices Matrimonium ratum cum uno, solvi per Matrimonium consummatum cum altero, ubi cum juste meritoque decerneret, ob superveniens matrimonium consummatum cum aliquo, ratum præcedens cum alio solvi non posse, subjungit *quavis a quibusdam Prædecessoribus nostris aliter sit aliquando judicatum*. Quod certe fieri posse non judicasset, si Matrimonium esset naturali jure indissolubile.

Ad hujus resolutionem notare sufficiat quantum ad nostrum attinet institutum. Judicaverunt quidem Pontifices, id iis in casibus fieri posse: at non perinde uti Pontifices & ex Cathedra judicaverunt, quasi ea de re solemne iudicium ferrent, & definitivam sententiam ex Tribunali pronuntiarent, sed prudenti duntaxat & doctoralis æquitate, juxta varias ea de re Theologorum jurisque peritorum opiniones atque sententias. Ex. Gr. dum dispensant quandoque R. P. super Voto Castitatis etiam per professionem Religionis celebrato; etsi ita dispensent, non illico tamen ex Tribunali definiunt, judicantque canonice posse R. P. in hujusmodi dispensare: sed variorum Theologorum jurisque peritorum opinionem amplexi R. Pontifices dispensare se posse probabiliter judicant. Unde nil quicquam ex privatis eorum Pontificum opinionibus contra statutam sententiam extundi potest.

Instat nihilo fecius: Potest contingere casus, quo conjugum alter vel ex femina mutetur in mar-

rem,

rem, vel fiat femina ex viro; uti legere est apud Hypocratem *lib. 6. Epidem. par. 8.* Titum Livium de Spoleana muliere idem referentem in Hispaniis *lib. 24.* Joannem Pontanum in Historia Neapolitana exponentem, Mulierem Cajetæ jam Annos 14. nuptam Piscatori cum marito filium peperisse, ac postmodum exorta viritate solutoque Matrimonio mulier nupsisse. Alteram Emilianam nomine in virum mutatam post annum Matrimonii 12. soluto Matrimonio uxorem duxisse, ex qua filios procreavit. Eo certe in casu, ajunt hi, Matrimonium necessario dissolvitur per se, suapte natura, quemadmodum solvitur per mortem.

Vera ne sint citata superius exempla; vel potius ad fabulas amandanda, quemadmodum ea que de Tiresia Vate primum in feminam, deinde in virum mutata, & de Schytone quodam leguntur, inter fabulas narrat Ovidius *lib. 3. & 4. Metamor.* inquirere non est Theologi. Dicerem tamen eo in casu dissolvi Matrimonium non utique contra jus naturale, sed ita exigente natura, & sine primario Matrimonii, eosque in eorum sorte esse, qui contrahunt Matrimonium impotentia coeundi ex membris mutilatione.

## PRÆLECTIO VII.

Matrimonium etiam ob fornicationem quoad vinculum dissolvi minime posse demonstratur.

Quam hodie agendam questionem suscipimus, num scilicet adulterii causa licitum sit dissolvere Matrimonium, subobscuram ac dubiam fecit Textus Evangelicus *Matthæi cap. 19. v. 9.* his verbis: *dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit mæchatur.* Is enim, si de summa facie, ut ferme fit, inspicitur, certe videtur innuere, Matrimonium saltem ob fornicationem dissolvi posse; cum ita possit ex iis Evangelicis verbis argumentari: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; igitur qui dimiserit ob fornicationem & aliam duxerit, non mæchatur.* Eo sane modo, quo quis diceret, *quicumque peccaverit, nisi poenitentiam egerit peribit, ergo qui poenitentiam egerit non peribit.*

Mirari profecto subit quot & quanta excogitaverint perique, ut hanc consecutionem eliderent. Fuere enim, qui dixerunt, ideo fornicationis causam excipi in eo *Matthæi* contextu, quia cum per legem Mosaicam lapidari publice juberentur, licitum erat Maritis suis post supplicium & mortem uxoris alteram ducere.

Sed huic opinioni, tametsi a multis defendi solite multa eaque gravia repugnant. Primo: quia in Evangelio sermo erit de dando libello repudii; Liber porro repudii ingratissimus uxoris dari justus erat *Deut. cap. 24.* non adulteris, quæ lapidibus appeti jubebantur *Levit. 20.* Secundo: Ea equidem mulier dicitur dimitti, quæ jubetur discedere a viro, & separatim ab eo vivere, non tamen, quæ ad supplicium trahitur, cum dimissio vere ac proprie nominis de uxore intelligatur. Tertio: Christus hanc legem de Matrimonio toti suæ Ecclesiæ, non solum Judaico populo præscribere voluit, & tamen certo sciebat lapidationem non ubique adulteris decretam iri.

Sunt & alii, qui eam exceptionem negative exponendam esse putarunt, ita ut ea Evangelica verba, hoc pacto intelligenda putaverint: *Quicumque dimiserit uxorem non fornicantem, & aliam duxerit, mæchatur.* Sed minus vere. Quærebant enim Pharisei an licitum esset dimittere uxorem quamcumque ex causa, proindeque non quærebant a Christo de dimissione solus mulieris non fornicantis. Cæteros mitto plures, qui apud Abulensium in *Matth. 19.* & Alphonsum de Castro *lib. contra hereses Verbo Matrimonium* perlegi a nobis possunt.

Sed quid nos interim in tanto pugnantium opinionum conflictu hac de re statuemus? Non aliam sane, nisi quam Scripturæ, Concilia, Pontifices, Patres, & ratio sacris monumentis juxta magis probat, videlicet Matrimonium etiam ob fornicationem quoad vinculum dissolvi minime posse; nec quidquam elici ex eo *Matthæi* contextu, ut Matrimonium ob adulterium, seu fornicationem dissolvi concludatur.

In hoc primo conveniunt Evangelistæ: Marcus enim *Cap. 10.* recolens ea que a *Matthæo* dicta sunt *Cap. 19.* hæc habet: *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam; Et si uxor dimiserit virum suum, & aliam nupsit, mæchatur.* Non absimiliter Lucas *cap. 16.* *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit mæchatur; & qui dimissam a viro ducit, mæchatur.* Quibus locis Marcus, & Lucas uti Interpretes *Matthæi* absolute univèrse & indefinitè pronunciant, eum mæchum & adulterum vocitare, qui dimissa uxore sua alteri nubat; qui enim de omnibus univèrsaliter loquitur, nullum excludit. Hanc porro Evangelistarum mentem fuisse atque sententiam, ex uno, qui omnium instar est, Augustino colligitur, qui postquam ea Evangelica verba perpendit, hæc subdit: *Qui ergo nos sumus ut dicamus: Est qui mæchatur uxore sua dimissa alteram ducens; & est qui hoc faciens non mæchatur? Cum Evangelium dicat omnino mæchatur, qui hoc facit. Proinde si quicumque id fecerit, id est omnis qui hoc fecerit, ut uxore sua dimissa alteram ducat, mæchatur, sine dubitatione ibi sunt ambo, & qui præter causam fornicationis, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, quicumque dimittit, hoc est omnis qui dimittit.*

Habemus itidem decretorum Sententiæ hujus nostræ testimonium apud Apostolum *ad Rom. 7.* ubi postquam discretissimis verbis asseruit mulierem solvi non posse a lege viri, nisi post ejus mortem, statim concludit, adulteram dicendam esse, si vivente viro alteri copuletur. *Que sub viro est mulier, vivente viro aligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocatur adultera, si fuerit cum alio viro.*

Non indignus Augustino locus hic visus est, utpote quia eo usus fuit contra Pollentium *lib. 2. de adulterinis conjugis cap. 2.* ubi sic ait: *Quomodo igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, quandoquidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculo per mulieris adulterium jam soluto? Et multo disertius cap. 5. ejusdem libri, Hec verba Apostoli toties repetita totius inculcata vera sunt, viri sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur; licite itaque dimittur conjux ob causam fornicationis, nec carebit illa vinculo, etiamsi nunquam reconciliatur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.*

Extat & alterum *1. Corinth. 7.* *His autem que Matrimonio juncti sunt præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam aut viro suo reconciliari.* Ubi ut observat SS. Doctor *lib. 1. de Bonis conjug. cap.*



cap. 9. loquitur eo in casu propter quem licet uxori recedere a viro, qualis est casus fornicationis.

His productis momentis adjungam Conciliorum Summorumque Pontificum auctoritates, quibus assertio hæc nostra probatur atque convincitur.

Tantum in eorum Patrum animis qui Tridentina Synodo præfuerunt, valuit præconcepta dudum opinio, Matrimonium scilicet ob adulterium seu fornicationem alterius conjugum nullatenus dissolvi posse, nec aliud Matrimonium altero conjugate vivente contrahere, ut eum damnarent atque proscripterint, qui errasse Ecclesiam cum hoc docuerit, & docet, temere pronunciaret. En integra Canonis verba ad sententiæ probationem expressa *Jess. 24. Can. 7.* his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjugate vivente aliud Matrimonium contrahere; mæchariusque eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam que dimissa adultera alii nupsit, anathema sit.*

Succedit eo in ordine Concilium Africanum seu Milevitanum, cui S. Augustinus interfuit, quod ita propositam quætionem exponit, ut eam lingua mea sensuque meo diremisse videatur. Ait enim: *Placuit ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjugantur. Sed ita maneat; aut sibi reconvalescentur. Quod si contempserint, ad penitentiam redigantur. In qua causa legem Imperialem petendam promulgavi.* Porro, inquit ego, si ob adulterium alterius conjugum Matrimonium dissolvi posset, certe nec dimisso aut dimissa firmiter constanterque proponeret, aut eo in statu permanere, aut sibi reconvalescentur; nec juberet redigi ad penitentiam, si forte contempserint.

Non absimiliter declaravit & Synodus Anglicana sub Theodoro Episcopo celebrata anno 663, ejus meminisse legimus *Bedam lib. 4. Historia Anglorum cap. 5.* Concilium Forojulienae *Can. 10.* Nannetense *Can. 12.* & Synodus Anglicana.

Id magno numero Pontifices statuerunt, suam hac ipsa de re sententiam conceptissimis verbis exponentes. Hoc statuit in primis Eugenius IV. in Concilio Florentino, ubi postquam definitio edita fuit, eidemque omnes utriusque Ecclesiæ Episcopi subscribere; ita Græcorum morem matrimonia fornicationis causa dissolventium reprehensione dignum & correctione indigere hoc pacto declaravit: *Nos Fratres Dei Beneficio sumus fidem conjugum. Quoniam ergo arcana Dei iudicis ego sum inter vos membra caput, debeoque qualitercumque admonere, & Consilium instruere ad ea, que videntur pietatem, & Ecclesiam nostram constabillire; propono vobis aliqua ut fratribus, ut Ecclesiam duobus. Et primo dico omnes conqueri de separatione Matrimoniorum, idque correctione indiget &c.* Quæ quidem postrema verba causam meam non orant modo perorantque, sed plane cumulateque consistunt.

In eandem sententiam venit, & Innocentius I. Episcopus ad Exuperium Tolosanum Episcopum *cap. 6.* Ubi interrogatus quid de iis sentiendum putaret, qui repudiata prima uxore se ad alteri copularunt; Respondit, mæchos & adulteros dicendos esse, & a communione fidelium repellendos: *De his requisitæ dilectio tua, qui interveniente repudio alii se Matrimonio copularunt: quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui ergo, vel que viro,*

vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinant, neque possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæc persone, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commississe videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio: *qui dimiserit uxorem suam & aliam duxerit mæchatur: Similiter & qui dimissam duxerit, mæchatur. Et ideo tales omnes a communione fidelium abstinendos.*

Sanxit non absimiliter Evaristus Episcopus. 2. facta comparatione Episcopi cum sua Ecclesiâ his verbis: *Sic uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se, vivente eo, Matrimonio societ, aut cum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus. Sed juxta Apostolum aut viro suo reconciliari debet, aut manere inupta; ita Ecclesiâ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo segregare se &c.*

Hæc tandem una fuit eorum omnium Ecclesiæ Patrum mens atque sententia, qui magna ex parte se ad hanc veritatem amplectendam, pietate, religione, rectaque ratione adductos profiterentur.

S. Clemens Alexandrinus, in fine *lib. 2. Stromatum* postquam congetis Scripturarum exemplis docet fieri non posse Matrimonii separationem nisi fornicationis causa, statim eam conjunctionem adulterium appellat, quam conjugum alter post factam separationem, altero vivente contraheret.

S. Basilus in *Regula Morali 73. cap. 2.* iidem doctrinæ principia nix aperte significat, nec viro, qui uxorem, neque uxori, que virum suum dimiserit, licitum esse alteri Matrimonio copulari.

S. Ambrosius singulim agens de Matrimonio eorum, qui uxore dimissa alteram ducunt, non femel adulterium appellat.

Quid plura? usque adeo præcis Ecclesiæ temporibus Sententia hæc nostra in omnium Sanctorum Patrum animis invaluerat, ut Justinus, & Athenagoras, ambo scriptores vetustissimi, iidemque Martyres in Apologia pro Christianis, hanc inter Christiana dogmata posuerint, inferuerint.

S. Augustinus libris duobus de conjugii adulterinis, qui ut principium certissimum supponunt, adulterium legitimum esse divortii causam; inter alia hæc habet *lib. 2. cap. 5.* *licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis. Si autem manente in se Sacramento regenerationis excommunicatur cujusquam reus criminis, nec illo Sacramento caret etiamsi nunquam reconcilietur Deo: ita manente in se vinculo fœderis conjugalis uxor dimittitur ob causam fornicationis; nec carebit ab illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro.*

Non me fugit, eam olim in aliquibus Ecclesiis invaluisse consuetudinem, ut vir post repudiatam uxorem alteram alteri nuberet conniventibus Episcopis, etsi vicissim repudiatam mulierem alteri nuberet non permitteret, ut legere est apud S. Basilium Episcopus ad Amphilochem; Origenem *Tract. 7. in Matth. Lactantium lib. 6. cap. 23.* Auctorem Commentariorum in Epistolâ S. Pauli inter opera S. Ambrosii editorum in *cap. 7. Epistolâ 1. ad Corinth. Concilium Arelatense I. Can. 10.* Concilium Bituricense *Sessio 2. Lemovicense II. Can. 15.* At non me fugit præcos illos Episcopos ita fieri permittere ab Ecclesiâ Patribus vehementer fuisse reprehensos ab Origene, a Lactantio, a D. Basilio, eorum Episcoporum nimiam indulgentiam referentibus, quasi qui contra divinam ac naturalem legem peccarent. Imo D. Hieronymus in Epitaphio Fabiola ad Oceanum, nobilis illius Matronæ penitentiam commendans, quæ adulterum Maritum dimiserat, alterique eo superflite nupsit, hæc habet: *Præcepit Dominus*

uxo.

uxorem non debere dimittere, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit manere inuptam. Quidquid viris jubetur; hoc consequenter redundat in feminas, . . . Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet & viris. . . Dimisit ergo, ut ajunt, vitiosum: Dimisit, pene dixi, quod clamante vicinia uxor sola non prodidit. . . Fabiola, quia persuaserat sibi, & putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat; in qua nubendi universa causatio viventi viri feminis amputatur, dum multa Diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnerus accepit. Sed quid ego in abolitis & antiquis moribus, querens excusare culpam, cujus penitentiam ipsa confessa est? Quæ certe de Fabiola non dixisset Hieronymus, si viro uxorem, & vicissim uxori virum Matrimonium ob fornicationem dissolvere licitum esset.

Sed longe clarius idem Hieronymus ab Amando presbytero interrogatus de muliere, quæ relicto viro adultero & Sodomita alteri nupsit, num posset absque penitentia communicare Ecclesiæ adhuc eo vivente, quem prius dimiserat; ita respondit *Epistolâ 147.* Omnes causationes Apostolus amputans aperitissimo defecit, vivente viro adulteram esse mulierem si alteri nupsit. Nolo mihi profanas raptoris violentiam, Matris persuasionem, Patris auctoritatem, propinquorum ceterarum, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus cooperatus & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate decernit, sed Christa in se loquente Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio. Qui dimittit uxorem suam excepta fornicationis causa facit eam mæchari, & qui dimissam accepit adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam accepit; Ergo & ista soror, qua vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult corpus Christi accipere & non adultera reputari, agat penitentiam, ita duntaxat, ut secundum viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore penitentiae non capuletur. Hæc SS. Doctor. Si ergo ob fornicationem post conjugum alter contractum Matrimonium dissolvere & alteri ad nutum copulari, non respondisset Hieronymus interrogationi sibi factæ, ut eo in casu mulier, quamquam vim passa penitentiam ageret, nec alteri viro jungeretur, si vellet Christi corpus accipere, nec adultera reputari.

Scio itidem per veterum Imperatorum Christianorum leges L. nimirum *Consensus Cap. de Repudiis, & L. constante*, permissum esse, viris repudiare mulieres; qui mos etiam per decreta Regum Christianissimorum viguisse legimus in Gallis, ut constat ex formulis Marculphi Monachi *lib. 2. formula 30.* quæ inscribitur *libellus repudii.*

At & illud novi, Justinianum Imperatorem hæc omnes leges penitus abrogasse *Novella 117.* Contra quas hoc pacto liceat mihi cum Hieronymo (qui quod postulet religio, & pietas probe noverat) exclamare *Epistolâ 30.* *Alie sunt leges Caesarum, alie Christi: Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcepit, & similia.* Hac sane ratione Summus Ecclesiæ Pontifex Cælestinus III. postulante Philippo Augusto solutionem Matrimonii cum Infemburge Regina Canuti Danorum Regis forore, allegata ratione consanguinitatis, nec non facultate alterius ineundi conjugii per Oratores petente; delegavit Judices ex Regno passulantis, sorti tamen mandato adstrictos, ut in hoc negotio juxta integritatem canonice procederent sanctionis. Verba hæc sunt Guillelmi Neubrigenis *lib. 4. cap. 26.*

Non absimiliter definiit & Canon 4. *lib. 4. Decretalium tit. 1. de Sponsalibus*; quæ tribuitur Con-

cilio Triburiensi, in casu cujusdam Galli, qui cum nobilem mulierem de Saxonia secundum leges Saxonum uxorem duxerit, ea dimissa alteram superduxit; ut ille uti transgressor Evangelicæ legis subiceretur penitentia, & a secunda conjugate pararetur, & ad priorem redire compelleretur. Adeo verum est indissolubilitatem Matrimonii a sola Evangelica lege petendam esse.

Sentio tamen non defuturos, qui hanc a nobis usque modo defensam sententiam, tametsi tot Scripturarum Oraculis, torque Conciliorum, & Patrum auctoritatibus communitam hæc momentis in contrarium obscurare nitantur.

Primum momentum petunt ex veteri Penitentiale Romano *Tit. 2. de Fornicat.*, & *Incestu diversi generis & ætatis, cap. 20.* ubi mulieri quæ nolens etiam atque repugnans a viro adacta fuerat ad adulterium perpetrandum, decernitur ut *inibat cui voluerit: viro autem, ut in Pane & Aqua, 40. dierum interfectio, & septem annorum spatium sit in publica penitentia.*

Hoc roborant atque confirmant hoc pacto. *Lex Christi 1. Corinth. 7.* neminem cogit cœlibem vivere, maxime si sit innocens, est enim duntaxat consilium.

Non est tamen ita ut fingunt Adversarii: Eo enim in casu non permititur mulieri innocenti nuberet cui voluerit statim ac ad adulterium perpetrandum fuerit a viro coacta, sed tantum post mortem ipsius, ut hoc pacto aliquod discrimen interit inter uxorem innocentem, & maritum reum; quod Maritus etiam uxore præmorta in cœlibatu vivere teneretur ad penitentiam; uxor e contra posset statim marito defuncto secundas nuptias contrahere. Liqueat hoc vetustissima Ecclesiæ praxi, qua si quis atrox aliquod crimen commisset, eidem nuptiæ impediuntur in penam, ne vel sic ipse delicatius viveret, vel ex illius stipite filii fortasse, eadem tæbe infecti procrearentur.

Hanc impostam penam legimus Parricidis a Concilio Moguntino sub Rabano celebrato *Can. 20.* Eandem incestuosos sancitam a Concilio Vermeritense *Can. 4.* & Concilio Triburiense *Can. 44.* Eandem adulteris latam olim ab Ecclesiâ *Can. bi vero Causa 32. quest. 7.*

Quod autem pertinet ad objectam Christi Domini legem, fidenter dico, quod si Apostoli verba *1. Corinth. 7.* non legitime ac perscrutatorie lectassent, certoispergent, eam legem de iis intelligendam non esse, qui Matrimonio juncti sunt, sed de iis, qui aut nunquam se Matrimonio copularunt, aut qui per alterius mortem matrimonii vinculo soluti sunt. Quinimo novissimè, firmiter præcipere uxoris non discedere a viro suis, & vicissim viris ab uxoribus, & si forte discederent, inuptos eo in statu permanere; adeo verum est, eam legem de conjugatis intelligi minime posse. Audite Apostoli verba: *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permanserint sicut & ego. Quod si non se continent, nubant: Melius est enim nubere, quam viri: His autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit: manere inuptam, aut viro suo reconciliari.*

Et certe si lex illa esset universaliter intelligenda, posset & uxor, cujus vir in captivitate apud barbaros detinetur, alteri viro copulari; posset similiter & illa, cujus vir post contractum Matrimonium sit impotens copulæ conjugalis; Et tamen videmus, id ab Ecclesiâ veritum, & a Sacris Canonibus reprobatur, ut colligitur ex *Canon. cum per bellicam*, qui est Leonis; & *Canon. cum in captivitate*, qui est Innocentii I. *Causa 34. quest. 1.* nec.



nec non ex cap. Dominus extra, de secundis nuptiis, quod est Lucii III. Responsum.

Stet itaque certum indubitatumque ex iis quæ hæcenus ab hujus disputationis exordio dicta sunt multiplicique Patrum, Pontificum, & Conciliorum suffragatione confirmata, quod primo loco probaturum spondi, Matrimonium scilicet ob adulterium solvi quoad vinculum minime posse.

Restat nunc ut nova momentorum congerie planum faciam, nil quidquam ex eo Matthæi contextu contra hanc meam usque modo defensatam sententiam ellici posse. Quo circa notandum velim, trifariam esse dimissionis seu separationis conjugum acceptationem. Alia dicitur quoad vinculum, quæque repudium in Scholis passim appellatur. Alia quoad thorum seu concubitus: Alia quoad simplicem habitationem, quæ duo appellatur divortium, quæque aliquando fiunt ad tempus, aliquando vero in perpetuum. Hoc postea notandum idem velim, in eo Matthæi contextu tria a nobis esse distinguenda. Primo: Virum dimittere uxorem. Secundo: facta uxoris dimissione virum alteri nubere. Tertio: uxorem femel dimissam alteri viro copulari. Qua posita distinctione, fidenter pronuncio, exceptionem illam nisi ob fornicationem in primam cadere Dominicæ sententiæ partem, ut videlicet sensus sit, licere quidem homini Christiano ob fornicationis causam dimittere uxorem suam quoad thorum, non autem in secundam; quasi non moechetur vir, qui dimissa uxore adultera, alteram ducat, & vicissim mulier, quæ dimissa a viro alteri copuletur.

Constat in primis ex eo, quod Marcus & Lucas, qui eam Christi Domini responsionem Pharisæis datam retulerunt, hujusce exceptionis nec verba fecerint, sed absolute & simpliciter asseruerint, eum adulterum vocandum esse, qui priore uxore dimissa alteram duxerit. Quicumque, ait Marcus cap. 9. dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Lucas 16. Omnis qui dimiserit uxorem & aliam duxerit moechatur. Quam sane exceptionem Evangelistæ non præterissent, si in secundam & tertiam Dominicæ sententiæ partem extenderetur.

Præterquam quod eam Christi Domini exceptionem neque ad secundam neque ad tertiam faceri illius Textus partem referri firmant multo magis ac roborant rationes longe plures a SS. Patribus insinuatæ.

At primo quidem: Si ob fornicationem conjugatis liceret non tam dimittere sese quoad thorum & habitationem, quam alteri ad nutum copulari; mulier adultera & vicissim vir, melioris fortis esset post dimissionem ipsamet innocente; quandoquidem conjux adultera per adulterium ad alia & alia inuenda conjugia sibi aditum aperiret: Innocens vero reliquam vitam ducere cum marito aliquando sævo & improbo cogere.

Secundo: Si per adulterium solveretur Matrimonium quo ad vinculum, aut id contingeret mox ac fornicatio commissa fuit, aut statim facto divortio, aut denique post secundum Matrimonium contractum. At neutiquam dici potest. Non primum; quia vir innocens potest adulteram penitentem retinere absque novo contractu. Dimissio enim fornicantis introducta est ad criminis violationem fidei correctionem; Cessat autem pena corrigens, ubi emendatio præcedat. Quinimo eo in casu virum tenendum esse non dimittere uxorem suam S. Thomas conceptissimis verbis affirmat in 4. Sent. dist. 35. quest. 1. art. 2. Dimissio uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem penam: Pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præcesserit: Et ideo si mu-

lier de peccato peniteat, vir non tenetur eam dimittere. Non secundum; quia potest imo debet maritus uxorem correctam & emendatam recipere, ut constat cap. si vir; his verbis: quod si mulier dimissa egerit penitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sepe recipere peccatricem. Debet tamen debito conscientie, ut explicat Glossa; & colligitur ex Canone admonere, Causa 33. quest. 2. non debito conscientie & necessitatis. Non denique tertium: quia plus juris habere nequit in dirimendo conjugio posterior vir dimissam mulierem ducendo, quam prior poterat eam adulteram dimittendo, cum ad solvendum contractum plus certe valere debeat consensus eorum, qui contraxerunt, quam superveniens contractus alterius; Si ergo vir prior uxorem adulteram dimittendo non solvit conjugium, nec solvet certe posterior eam dimissam accipiendo.

Tertio: si ob adulterium seu fornicationem solveretur Matrimonium, sequeretur, quod ubi conjuges moribus discederent, aut ad alios amores aspirarent, vel sibi mutuo permitterent fornicationem, vel saltem sibi occasionem præberent, vel hæc definiret alter alterum de adulterio accusaret, ut hæc via ad secundas nuptias sibi aditum aperirent. Quam ob causam insinuat Hieronymus in Matth. 19. prohiberi maritis primam dimittere uxorem, ut prima vivente alteram ducere nequaquam possint: Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimine impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Quæ verba transcripsit Concilium Forojulienæ Anno 791. sub Adriano I. Can. 10. ea de re edito.

Sunt tamen qui ex hac nostra doctrina incommodum hoc consecrarium eliciunt, quodque nobis fidenter exprobrant: Alia multa sunt causæ, ajunt hi, partim sacris Canonibus comprehensæ & partim decreto Concilii Tridentini confirmatæ Can. 8. de Matrimonio, ob quas licet dimittere uxorem quoad thorum & habitationem, uti profecto sunt impietas, Apostasia, hæresis, Sacrilegium, lepra, aliæque ægritudines per copulam carnalem facile communicanda. Non est igitur ad primam duntaxat Dominicæ sententiæ partem referenda laudata Matthæi exceptio; alioquin ea Evangelica verba significarent, nullam aliam esse causam dimittendi uxorem quoad thorum & habitationem præter fornicationem, quod tamen liquet esse falsissimum.

Ruit ab imo tota vis argumenti, si videlicet observemus, longe diversam esse dimissionem mulieris ob fornicationem ab ea, quæ ob alias causas, cumque causis fieri potest. Potest enim licite vir ob fornicationem dimittere uxorem suam quoad thorum & habitationem dimissione perpetua, ita ut neque post actam penitentiam stricto jure recipere teneatur, cum ea dimissio dicatur fieri jure Matrimoniali, & propter violatam fidem conjugii; ob alias vero sit jure defensionis, ideoque dimittitur uxor quoad tempus, donec eadem emendetur, & cesset periculum, quod ex iis forte subesse potest. Et revera habemus in iisdem memoratis causis exemplum: Si enim de Apostasiæ causa loquamur, legimus Urbanum VIII. Ext. de divortio cap. de illa clara aperitissimeque præcipere, Apostatam mox ac constet esse convertum, recipiendum esse; Si de Infideli, compellendum conjugem fidelem ad insulem recipiendam si convertatur ad fidem. Si tandem de leproso: legimus cap. pervenit; & cap. quoniam, ext. de conjugio leproso ab Alexandro III. sub anathemate indictum esse, ut conjugii leproso debitum non negetur, quod Canonice omnes

nes intelligunt postquam cessaverit periculum contagionis. Quinimo docet D. Thomas, quod cum lepra sit malum insanabile, ideo leprosum ab usu conjugii simpliciter repellendum non esse, ne proles nascitura lepra inficiatur, quia proli melius est nasci, quam non nasci.

## PRÆLECTIO VIII.

Matrimonium ratum non consummatum religiosa professione dissolvi, probatur; idemque divino jure dissolvi, seu auctoritate Christi ita dispensantis in favorem Religionis, asseritur, demonstratur.

DE Insolubilitatis Matrimonii disputatione feliciter expediti, eaque potissima superiori Relectione peracta, qua Matrimonium neque ob adulterium dissolvi posse multis ostendimus, Duplex accedit difficultas eliquanda: Alia scilicet: num Matrimonium ratum non consummatum religiosa professione solvatur. Altera; quo jure Religiosa professio Matrimonium dissolvat. Fuere non pauci, qui cum observassent primo, Sacros Ecclesiæ Canones Matrimonium consensu non concubito pericli decrevisse cap. ex publico ext. de Convers. conjugat. Decret. Eugenii IV. pro Instruct. Armenorum, & Concilium Tridentinum Sess. 24. Can. 6. Secundo Matrimonium ratum in eo positum esse, quod vir & mulier sibi mutuo consensu tradant per verba de presenti suorum corporum potestatem ad actum utique conjugalem. Tertio: Matrimonium ex sui natura esse insolubile; hæc ita facile intelligunt, quo pacto Matrimonium ratum non consummatum possit religiosa professione dissolvi. Fuit hæc olim Erasmi, ut videtur est in Annot. super cap. 7. primæ ad Corinth. Cui etiam subscribere Lutherus & Calvinus, eorumque gregales non pauci, inepta cavilatio. Nos ergo, ubi primum Ecclesiæ Canones, & Sanctorum Patrum momenta dediderimus, palam ostendimus, Matrimonium ratum non consummatum posse religiosa professione dissolvi.

Volvamus itaque Canones, & ab iis primo tanquam e publicis tabulis hujus nostræ sententiæ probationem eruamus.

Liquet id ex cap. verum ext. de Convers. conjugat. quod Responsum fuit Alexandri III. ubi conjugum alteri licitum docet non obtinente Matrimonio rato religiosam vitam suscipere his verbis: Altero etiam repugnante eligere Monasterium (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenit inter eos: Et alteri remanenti (si communitus continentiam servare noluerit) licitum esse ad secunda vota transire (id est novum inire,) quia cum non fuissent una caro, simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in saeculo remanere. Quæ verba satis inuunt nedum invito licere conjugum alteri ingredi Monasterium, sed etiam posse ad secunda vota transire; quod certe licitum non fuisset, si religiosa professione Matrimonium ratum dissolvi posset.

Docet hoc idem & cap. ex publico sub eodem Tit. ubi aperte mandat mulieri viro desponsatæ, ab ipso tamen nondum carnaliter cognita, ut si vellet religiosam vitam amplecti, debeat vel ad Religionem transire, vel ad virum suum infra duorum mensium spatium redire: Mandamus, inquit, quatenus si predictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat. Et

quo profecto liquet, Summum Ecclesiæ Pontificem mulieri desponsatæ mandasse, ut ad virum suum rediret, non autem religionis statum susciperet, si Matrimonium ratum per religiosam professionem solvi posset.

Hoc perinde multo luculentius evincitur cap. ex parte tua: ubi legimus Matrimonium, ex quo inter legitimas personas per verba de presenti ininitum est, nullo in casu posse, iis viventibus, dissolvi, etiam si conjugum alter laberetur in hæresim; legimus tamen eum excipi casum, quo quis conjugum vellet religionem amplecti: Etsi (Pontificis verba sunt) possit non inconsulte videre, quod ex quo Matrimonium inter legitimas personas per verba de presenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, & vivente reliquo alter ad secunda vota transmigret, etiam si unus fidelium inter quos est ratum, fuerit hæreticus & nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris: nisi forte secus fieret ex revelatione divina, que superat omnem legem: sicut a quibusdam Sanctis legitur esse factum. Nos tamen nolentes a Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, quod respondere consulti antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit copulari. Si ergo licitum sit conjugum alteri nedum religionem suscipere, sed etiam alteri posse ex tunc legitime copulari, profecto constat Matrimonium ratum non consummatum per religiosam professionem dissolutum fuisse.

His adde alios longe plures Decretales Canones, qui passim perleguntur in Titulo de Sponsalibus & Matrimonio Cap. Commisum & Cap. ad Apostolicam. In tit. de frigidis Cap. fraternitatis.

Sed hæc veritas tam multis Sanctorum exemplis a SS. Ecclesiæ Patribus probatis comperta videtur, ut ea de re nulli, quod credam, dubium amplius subesse possit.

Legimus enim apud S. Epiphanium heres. 78. S. Ambrosium lib. 2. de Virgin. & S. Augustinum lib. 3. contra Faustum cap. 4. S. Teclam fuisse a D. Paulo ante Matrimonii consummationem a nuptiis revocatam.

Apud S. Gregorium Magnum lib. 3. Dialog. cap. 14. S. Gregorium nuptiis jam celebratis sanctimonialiam vitam suscepisse.

In lib. 4. Hist. Anglicane apud Bodam S. Edridam Reginam debitorum conjugale viro suo reddere noluisse, & religiosam vitam professam esse.

Apud S. Gregorium Turonensem lib. de Vita SS. cap. ultim. S. Leobardum post inijtias nuptias cum honesta puella Monachum factum fuisse.

Apud S. Augustinum, lib. 8. confess. cap. 6. (ut mittam alia longe plura) duo milites lecta S. Antonii vita relicta Sponsis sese monasticis votis alligasse.

Quibus & illud addiderim Joannis Apostoli exemplum, qui ut existimant non pauci, fuit a nuptiis Canæ ad Apostolatam a Christo Domino vocatus.

Sed nobis cum bona illorum venia secus videtur, tum quia non est verisimile, Christum Dominum eas statim nuptias dissolvere voluisse, quas ideo in Opido Canæ divina sua presentia coonestavit, ut eas benedicens Matrimonii Sacramentum institueret; tum quia repugante perfecta puritati, quam profitebatur Joannes, si aliquando in conjugum consueti more consummandum consensisset.

Suadent hoc idem, etiam, rationes longe diffusissimæ. Et prima quidem a D. Thoma insinuat in 4.